

Tercia autem die post adventum Basiliensis episcopi et domini Conradi Wernheri de Hatstat advocati Alsacie in vigilia Sancti Bartholomei apostoli B littera dominicali egressus est rex Rûdolphus Viennam cum exercito suo cum rege Bohemie prelium commisurus. Rex autem Bohemie cum exercitu suo prope civitatem venerat Viennensem. Bohemie rex exercitum suum in plures partes, id est in tres, diviserat principales. Habuit enim multa milia peditum Cumanorum. Secundum habuit exercitum equorum et hominum diversorum. Tercium habuit exercitum equorum falleratorum et militum | circiter nongentorum. Rex Rûdolphus similiter in tres partes suum exercitum dividebat. Habuit Ungarie regem¹⁸⁶⁾ cum quindecim milibus Ungarorum. Rex Ungarorum juvenis decem et octo annorum extitit et propria persona ad prelium non pervenit, quia rex Rûdolphus ipsum noluit interesse. Dominus Haynricus episcopus Basiliensis sedens in dextrario fallerato decentissimus, [armis]^{u)} indutus ad bellum libentissime processisset, quia paratus presens erat, si voluntas regis permississet, qui libenter vidisset, quod Ungari cum Cumanis congressi fuissent, sed eos ipsi invadere minime völuerunt. Secundum rex Rûdolphus exercitum habebat et hunc adversus exercitum regis Bohemie dirigebat. Exercitus autem regis Bohemie forcior erat et eos retrocedere faciebat. Videns Rûdolphus suos deficere tercium exercitum, quem habebat, scilicet trecentos milites habentes equos falleratos, in quibus et maxime confidebat, contra regem Bohemie dirigebat et magis in domino quam in propriis viribus confidebat. Rex Bohemie videns regem Rûdolphum contra se venientem solus adversarios atrociter agrediens multos percussionebus suis gravissimis affligebat. Triginta vero milites custodes regis ipsum pro suis viribus adiuvabant. Tandem rex Bohemie fessus ab ignobili capitur et armis propriis spoliatur. Tunc rex sic discinctus ducitur, miles vero quidam insequitur eum dicens: Ecce rex, qui fratrem meum turpiter interfecisti. Lugeas igitur factum. His dictis extractoque gladio regem in facie gravissime vulneravit. Alter vero sequens hunc ventrem regis gladio perforavit. Qui autem regem Bohemie ceperat, doluit vehementer et ipsum libentissime defendisset, si suis viribus potuisset.

Rex Rûdolphus contra suos adversarios fortissime dimicavit. Tandem vir fortis veniens regem percussionebus affligebat. Sed cum vincere non

250,
33—251, 5
23. Aug.

fol. 188r

251, 6—21

^{u)} *Konjektur nach C und S. Das Wort selbst steht unleserlich auf Rasur.*

¹⁸⁶⁾ *Ladislaus IV. 1272—1290.*